CAPUT IX.

De Processu Edictali, sive Concursu Creditorum.

§. 80.

Concursus apud Judicem excitandus est, cui obæratus ex sua qualitate personali subjectus est, attamen duntaxat relate ad bona, in eadem provincia aut regno existentia, atque adeo quum obæratus Bona in pluribus provinciis possidet, Concursus in qualibet provincia relate ad bona ibidem existentia apud illum Judicem moveri debet, cui obæratus ex sua qualitate personali subjectus foret, siquidem in provincia habitaret.

§. 81.

Concursus in sequentibus casibus sine mora excitandus est. *a*) Si aliquis profiteatur se solvendo non esse. *b*) Si quis mortuus fuerit, et Hæres declaratus respectu bonorum ad Hæreditatem pertinentium, vel in

defectu

defectu Hæredis, Curator massæ hæreditariæ Concursum excitari postulabit. *c*) Si quis ob debitum jam inarestatus ab alio creditore nova executione impetatur.

§. 82.

Si unus, vel plures e Creditoribus Concursum postulent, quin manifestum sit, petitionem sine justa Causa, vel solum animo Debitorem divexandi factam esse, pro rei dilucidatione dies ad Terminum, quantum fieri possit, brevem præstituenda, ac Debitori injungendum est, ut vel Creditoribus Concursum petentibus, de Satisfactione caveat, vel statum Bonorum suorum activum, & passivum conficiat, eundemque die dicta Judici exhibeat.

§. 83.

Si Debitor Creditoribus petentibus, de solutione non caverit, vel die præstituta non comparuerit, vel statum Bonorum suorum non exhibuerit, vel denique se omnibus Credi-

toribus ſatisfacere poſſe non probaverit, Concurſus ſine cunctatione aperiendus eſt.

§. 84.

Concurſus aperitur per Edictum, quod pro Convocatione Creditorum expediendum eſt; idcirco Concurſus quoad effectus Juris, qui ex eo naſcuntur, a die publicationis memorati Edicti apertus habendus eſt, quapropter Judex Concurſus hanc Publicationem, quantum poſſit, tempeſtive fieri curato, ac diem, quo Publicatio facta fuerit, accurate adnotato.

§. 85.

Concurſu aperto, id eſt rite publicato, contra Cridatarium a nullo Judice ulterius valide procedi poteſt, ſed Partes ad Judicem Concurſus inviandæ ſunt.

§. 86.

Dum Concurſus aperitur Judex ſimul *a*) Curatorem ad Lites conſtituat, ſolummodo in Pagis et Oppidis, ſi Creditores de liquidatione, coram Jus dicente facienda, inter ſe

con-

consentiant, is liquidationem cum ipsis Creditoribus suscipere potest, ita tamen ut præprimis totum negotium per transactionem componere omni diligentia satagat, alioquin vero secundum ordinem ulterius procedat. *b*) In ipsa pariter aperitione concursus Judex Bona obaerati simul judiciali obsignatione præcludat, describi, ac æstimari jubeat; uti etiam *c*) petito, ac impetrato assensu creditorum qui noti sint, & in loco Judicii commorentur, vel etiam, si necessitas poscat, ex officio Curatorem Bonorum constituat, ac denique *d*) Omnes, qui contra obaeratum actionem habeant, publico Edicto citet, iisque injungat, ut nomina sua usque ad certum ac præstitutum diem edant, secus vero se a Bonis extantibus, quatenus ea a creditoribus comparentibus exhausta fuerint, exclusos fore sciant.

§. 87.

Terminum, in quo creditores nomina sua, seu actiones profiteri debeant, Judex pro

circumſtantiarum conditione præfiniat, nunquam tamen ampliorem ſex Menſibus, neque anguſtiorem triginta diebus, feriis tamen ſemper incluſis.

§. 88.

Edictum valvis curiæ affigendum, & Ephemeridibus publicis inſerendum, ſimul præfixus terminus Gubernio Judiciali eo fine ſtatim ſignificandus eſt, ut illud id omnibus Regni Foris indilate notificet, quo hoc viciſſim Terminum hunc ut primum publicum reddere, & vertentes nefors contra Cridatarium Proceſſus ſiſtere poſſit. Gubernium una concurſum apertum etiam Tribunalibus Appellationum, in Provinciis Germanicis & Hungaria exiſtentibus, notificabit, ut ſua quoque ex parte neceſſariam publicationem procurare poſſit. Creditores vero publicis Hypothecarum tabulis inſcripti ſingillatim citandi, & cuilibet eorum citatio ita intimanda eſt, quemadmodum Reo convento, habita ratione

ne

ne præsentiæ suæ, vel absentiæ primus Libellus communicari debet.

§. 89.

Curatoris ad Lites constituti est, accepto decreto cum creditoribus notis statim, cum reliquis vero eo ordine, quo quisque comparuerit, liquidare. Quod si ante lapsum Termini, actionibus profitendis præstituti, liquidationem cum omnibus creditoribus penitus absolverit, peculiaris ratio hujus diligentiæ in remuneratione eidem adsignanda habenda est.

§. 90.

Creditores nomina sua porrecto, qualem Processus ordinarii forma requirit, libello profiteantur: singulæ vero Petitiones tam in Protocollo Judiciali, quam a Curatore ad lites accurate adnotandæ, dein vero suo tempore in Elenchum fideliter referendæ, hic vero ad acta, ut pro creditorum classificatione præsto sit, reponendus est.

§. 91.

Super qualibet profeſſione creditoris, quemadmodum ſuper alia quavis petitione judiciali procedendum eſt: unusquisque vero creditorum in eadem non ſolum de liquiditate actionis ſuæ, ſed etiam de Jure, vi cujus in hac vel illa claſſe collocari petat, valide docere debet. Liceat tamen ſingulo creditori originales obligatorias inſpicere, &, ſi quæ ipſi contra earum authentiam occurrerent reflexiones, illas cum Curatore ad Lites pro explendo munere ſuo communicare.

§. 92.

Poſtquam ſuper omnibus inſinuationibus Creditorum, quæ usque ad lapſum Termini in edicto præfixi factæ fuerint, proceſſus concluſus, & acta inrotulata fuerint, ſuper quavis profeſſione circa liquiditatem prætenſionis ſententia in ſeparato ferenda; ſimul vero claſſium, in quibus univerſi creditores nomina ſua profeſſi collocari debeant, ordinatio perficienda, eaque rite publicanda eſt.

Pub-

Publicatio autem hæc ita instituenda est, ut classificatio in integro suo complexu Curatori bonorum & Curatori ad lites, singulo vero creditori ille classificatoriæ Paragraphus, qui eundem concernit, intimetur: singulo tamen creditorum liberum esto, integram classificationem apud Curatorem bonorum vel ad lites inspicere, aut illius copiam sibi a Judice expetere.

§. 93.

Ante omnes reliquos creditores ponendi sunt *a*) qui rem mobilem vel immobilem tempore concursus aperti adhuc in natura inter bona debitoris seu in Massa repertam, ex deposito, commodato, locato, aut alio dominii vel proprietatis Jure expetunt, non tamen ii, qui debitori aliquid vendiderunt, quin pretium rei emptæ receperint. *b*) Uxor respectu rerum, & bonorum allatorum, inter substantiam Mariti in natura adhuc repertorum. *c*) Ii qui aperto concursu pro ipsa massa pecuniam, vel operam suam impenderunt, veluti Curator ad Lites, et Bonorum.

§. 94.

§. 94.

In prima classe collocandi sunt ii, quibus Jus prioritatis præsenti ordine Judiciario attribuitur: nimirum *a*) Præstationes Ærario Principis, nec non dominiis debitæ. *b*) Expensæ necessariæ pro sepultura obærati. *c*) Expensæ necessariæ in luctum factæ, eo duntaxat casu, si debitor concursu nondum aperto mortuus fuerit. *d*) Domestici, qui pro victu, vel mercede, vel pro utroque simul unico domino serviunt, quoad Mercedem ab uno anno a principio concursus retro numerando sibi debitam, nisi docere possint, se illam petiisse, dominium nihilominus eam se invitis retinuisse, quo casu merces a triennio retro numerand. in hac classe collocanda est. *e*) Uxor respectu suæ Allaturæ in natura non amplius existentis, quatenus ejus investitionem bonis & fundis mariti sufficienter probaverit, nec non respectu dotis legalis casu quo Concursus post fata mariti celebretur, salva in reliquo quoad jura

vi-

vidualia in substantia nefors remansura, legum provisione. *f*) Pupilli, vel ii, qui de lege pupillis æquiparantur quoad prætensiones suas contra Tutores & Curatores reddendis rationibus obnoxios. *g*) Medici, Chyrurgi, & Pharmacopolæ propter id, quod pro cura debitori præstita & medicamentis suppeditatis ab anno sibi competet. *h*) Fumarii pro mercede annua a die moti concursus computanda, omnes vero creditores in hac classe positi, si massa pro integra omnium satisfactione non sufficiat, solutionem solummodo juxta proportionem prætensionum suarum, quin ullo inter se prioritatis jure gaudeant, accipiunto.

§. 95.

Ad secundam Classem referendi sunt omnes ii, qui rem mobilem in pignore habent vel rem immobilem in hypothecam medio factæ intabulationis obtinuere, & quidem hi juxta prioritatem temporis factæ intabulationis, secus vero pro casu factæ simultaneæ intabulationis juxta prioritatem temporis,

quo

quo obligatoriæ emanarunt, ſpecialem tamen habentes hypothecam in ſerie ſuæ excontentationis ipſam hanc hypothecam pro fundo ſuæ excontentationis petere poſſunt. Si quis tamen per effectivam publice, & legaliter factam traditionem fundi realem hypothecam obtinuit, etiam ſi intabulatus non fuerit, reliquis creditoribus poſterius intabulatis præfertur.

§ 96.

Quoad debita a 1ma Maji 1786. contrahenda, uſuris de ſorte, cui jure pignoris vel hypothecæ cautum eſt, idem prioritatis jus, quod ſorti ipſi competit, pro triennio, ab aperitione concurſus retro numerando. Quod ſi autem jam antea pro ejusmodi uſuris, & quidem ſine intermiſſione Judicio actum fuerit, tam uſuræ, quarum dies intra triennium, a die motæ actionis retro numerandum, quam ab illo tempore uſque ad initium concurſus & ceſſit, & venit, eodem jure gaudeant, adeoque ſortis conditionem ſequantur.

§. 97.

Ad tertiam Classem pertinet Fiscus pro eo, quod a persona munere publico fungente ipsius muneris causa veluti restantiæ Cassæ aut pro officii decretis debitum postulabit.

§. 98.

Circa usuras de sortibus, seu capitalibus ad tertiam Classem spectantibus debitas observandum est id, quod §. 96. pro usuris sortium pignore, vel hypotheca munitarum constitutum est.

§. 99.

Ad quartam Classem referendi sunt Fiscus quoad prætensiones e Contractu oriundas, atque cæteri omnes Creditores simplices Chyrographarii: hujus vero Classis creditores e residuis bonis juxta proportionem prætensionum suarum sine discrimine exsolvantur, & quoad usuras id, quod §. 96. circa usuras creditoribus hypothecariis debitas præfinitum est, itidem observetur.

§. 100.

§. 100.

Sub quinta Classe veniunt Usuræ debitorum a 1ma Maji 1786. contractorum, quibus hac lege idem jus cum sorte seu Capitali attributum non est, & quidem sine discrimine, & pro ratione duntaxat quantitatis debitæ.

§. 101.

Ad sextam denique Classem spectant *a*) Creditores titulo lucrativo venientes, id est quorum prætensio ex mera Debitoris liberalitate oriebatur, e. g. Donatarii & quidem pariter sine differentia pro ratione actionum suarum, quibus *b*) succedit Fiscus pro mulctis sibi adjudicatis; utrumque vero hoc genus prætensionum in hac Classe tunc solummodo collocandum est, cum eidem pignore, vel hypotheca cautum non sit.

§. 102.

Si in Massa concursus metallifodina, aut machinæ, vel officinæ metallicæ, veluti Officina contusoria, excoctoria, seu fusoria,

mal-

malleorum ferrariorum, aut simile quid eo pertinens contineatur, quoad hæc solum bona, non vero quoad reliqua ad concursum devoluta Creditoribus §. 94. designatis in prima Classe præferendi sunt sequentes ordine pariter sequente: *a*) Fiscus Summi Principis, vel illi Domini fundi, qui decimas metallicas, reditus ex partibus metallicis hæreditariis, vel recognitionem trimestralem percipiendi speciale jus habent; & quidem ratione eorum proventuum, qui illis competunt, titulo decimarum metallicarum Canonis metallici, vel urburæ, partium metallicarum hæreditariarum, vel earum, quæ Dominis fundi pro administratione lignorum gratis facta in fodinas reservatæ sunt; uti & ratione ejus, quod illis nomine recognitionis trimestralis a colonis metallicis, seu exercitoribus metallifodinarum pendi debet; ratione hujus recognitionis tamen solum pro tribus anni quadrantibus a die recursus aperti retro numerandis: *b*) Coloni metallici, seu exercito-

res fodinarum, vel officinarum metallicarum ratione fructuum, ſeu redituum ex fodinis ſeu officinis, deciſa jam diſtributione eorum. *c*) Uti etiam ratione Symbolorum, ſeu Collectarum pro impenſis in fodinæ culturam ære numerato factarum, atque penes obæratum exiſtentium, tum & ratione promptuarii, materialisque cujuscunque generis ad uſum operis Metallici ſervientis, & ſumtu communi ſuppeditati *d*) Opera fodinarum, officinarum contuſoriarum, excoctoriarum ſeu fuſoriarum, malleorum, aliarumque officinarum metallicarum ratione mercedis ſuæ, & quidem duntaxat pro duobus anni quadrantibus a die redditæ ultimæ rationis metallifodinarum vel officinarum ante motum concurſum retro computandis. *e*) Ærarium pauperum metallifoſſorum ratione denarii communis, quem Debitor ex mercedibus operariorum metallicorum jam deduxerit, non tamen in arcam ſocietatis pro aſſervanda hac pecunia deſtinatum intulerit. *f*) Poſſeſſores, ſeu cultores cuniculorum hæredi-

ditariorum ratione nonæ partis, & alterius juris ex ejusmodi cuniculis illis competentis. *g*) Ii, quibus census de puteis, perticis cuniculi, aquis deductis fodinarum, vel aliud ejus generis jus in metallifodinis competit, solummodo tamen pro duobus anni quadrantibus a die, quo ultimæ rationum metallicarum tabellæ ante concursum editæ sunt, retro numerandis. Nec non ii, qui ex conventione censum pro Officina contusoria, excoctoria, vel fusoria petere possunt, pro uno duntaxat anno ab ultima rationum Metallicarum editione concursum præcedente retro computando.

§. 103.

Eodem modo hoc in casu Creditori tertiæ Classis §. 97. designato anteponendi sunt Suppeditatores sumtuum, qui pro excolendis fodinis, vel officinis metallicis, ac Sustentatione operariorum pecunias, cibaria, aliasque res ad opus metallicum necessarias in antecessum suppeditaverint, si se tamen prius

qua tales libris Judicii Metallici immatriculari fecerint; ſolummodo autem pro duobus anni quadrantibus a die, quo ultimæ rationes metallicæ ante concurſum redditæ fuerint, retro computandis.

§. 104.

Creditoribus poſt apertum concurſum Uſuræ quidem currere pergant, expenſæ tamen, quas pro liquidatione prætenſionum ſuarum fecerint, iisdem adjudicandæ non ſunt.

§. 105.

Subditis exterarum Ditionum pro Actionibus ſuis par jus cum indigenis vel incolis tribuendum eſt, ſi probatorio ſuæ Superioritatis documento doceant, quod in Ditione, ad quam talis Creditor pertinet, ſubditis Regni Hungariæ par jus cum indigenis concedatur: qua probatione deficiente jus reciprocum accurate obſervandum eſt.

§. 106.

A ſententia ſuper liquiditate prætenſionis lata tam Creditori, quam Curatori ad Lites,

ſi-

siquidem hic, vel ille se gravatum existimet, appellare integrum esto; contra classificatoriam vero appellare non liceat, verum Creditoribus, qui se vel in meliori classe collocandos vel Jus prioritatis alterius Creditoris impugnandum existimabunt, in Classificatoria facultas reservanda est, ut petitionem suam intra 30 dies exhibere queant. Classificatio enim pro sententia habenda non est, sed pro Judiciali quodam schemate, quod tantum effectum Rei judicatæ eatenus obtinere potest, quatenus in tempore, ordine hoc judiciario præscripto, impugnatum non fuerit.

§. 107.

Illi, qui in Termino per Edictum præfinito, actiones suas in Judicio non denunciaverint, postea audiendi non sunt, etiamsi Jus compensationis iisdem competeret, vel etiam rem jure Dominii a massa vindicare possent, vel denique Actioni suæ per Hypothecam rei immobilis, ad obæratum spectantis, cautum esset, quamobrem in classificatoria declarandum

eſt, omnes, qui Jus ſuum non inſinuaverint, ſine exceptione præcluſos eſſe; imo ſi talis Creditor maſſæ viciſſim aliquid deberet, Jure compenſationis cadit, id eſt, ille prætenſionem ſuam activam, cujus inſinuationem prætermiſit, amittit, Curator nihilominus ad Lites prætenſionem maſſæ contra illum proſequi poteſt, quod tamen ad Quæſtores, qui in correſpondentia, & reciproco commercio ſtant, eatenus tantum extendendum venit, quatenus Quæſtor videns data ſua plus, quam accepta efficere, ſolutionem a maſſa Cridaria exigere velit, non vero, ſi Quæſtor viderit data maſſæ, cum acceptis exæquari, aut ab iis ſuperari, tunc enim Concurſui ſe ſiſtere non tenetur, ſed ſolummodo Curatori ad Lites liquidationem petenti reſpondere obligatur.

§. 108.

Qui Jus prioritatis ſibi competere exiſtimabit, ſub amiſſione hujus Juris intra 30 dies a die, in quo claſſificatoria publicata fuerit, numerandos, adverſus omnes, quos idcirco con-

veni-

venire volet, Actionem prioritatis instituere ac simul, separato tamen supplici libello, petere debet, ut Judex pro constituendo Creditoribus, contra quos agere vult, communi Advocato diem dicat.

§. 109.

Si petitionem, seu actionem prioritatis in Termino præfinito exhibere nequeat, triduo saltem, antequam hic Terminus elabatur, dilationem implorato; tam vero in implorando, quam in concedendo hoc Termino dilatorio ea observanda sunt, quæ in hoc Ordine Judiciario circa dilationes pro præsentatione exceptionis præscribuntur.

§. 110.

Die præstituto Creditores conventi communem patronum eligunto; dissentientibus vero suffragiis ille, in quem majora præsentium consenserint, designandus, vel si Creditores neminem nominaverint, a Judice ipsorum periculo, Patronus constituendus est.

§. 111.

Petitio prioritatis communi defensori tradenda, ac super eadem perinde, atque super alia quavis petitione procedendum, nisi quod primus Terminus pro porrigenda responsione 14 diebus tantum circumscribendus est.

§. 112.

Curator bonorum bona suæ administrationi concredita, cum diligentia boni Patrisfamilias curare; pecunias in numerato extantes, & res pretiosas, nisi Creditores se easdem penes ipsum relinquere velle expresse declarent, judicialiter deponere, Activa ad massam spectantia, via amicabili, vel Juris exigere, res vero corruptioni obnoxias, vel eas, quarum conservatio multum dispendii afferre solet, ac inutilis foret, tempestive Auctioni, judiciali tamen, exponere debet, ita quidem, ut si ejusmodi res citra periculum damni usque ad secundam, vel tertiam auctionem adservari non posset, eadem in prima auctione etiam infra pretium, quo æstimata fuerit, vendatur, acceden-

dente tamen Curatoris massæ, & Creditorum consensu etiam extra auctionem venumdatio rei mobilis ad massam spectantis fieri potest.

§. 113.

Statim post lapsum Termini, insinuandis Nominibus adsignati, Curator ad Lites contra universos Creditores Diem dici petet; hi vero dicto Die, vel Curatorem Bonorum interim constitutum confirment, vel alium pluralitate Votorum eligant.

§. 114.

Eodem die Creditores insuper deputationem e numero suo per Majora itidem suffragia constituunto, quam Curator Bonorum, siquid gravioris momenti incidat, consulere debeat, & cui rationes administrationis quotannis reddat.

§. 115.

Si Creditores Curatorem Bonorum, vel Deputationem eligere nolint, aut præfixum sibi Terminum circumducant, Judex ipsorum periculo illum, hancve constituat, si vero suffragia præsentium æqualiter divisa sint,

unum ex iis, qui propositi fuerint, suomet Arbitrio confirmet.

§. 116.

Curator Bonorum confirmatus vel electus, sine mora judicialem Auctionem extantium adhuc Bonorum mobilium, nec non fundorum immobilium, quatenus civiles, aut rustici sunt, fieri curato; Immobilia vero Nobilitaria, siquidem alioquin æstimata sunt, ad futuram repartitionem reservato.

§. 117.

Res, quas neque in prima, neque in secunda Auctione, saltem tanti, quanti æstimatæ fuerint, vendi contigerit, tamdiu adservandæ sunt, donec classificatoria perfecta, & jus prioritatis Creditoribus, suum cuique adjudicatum fuerit; postea vero res omnes, quæ de Bonis obærati adhuc extabunt, atque adeo etiam Chirographa, aliave Nomina ad Massam spectantia (nisi creditores, prius audiendi, ea in solutum accipere ultro malint) plus offeren-

tibus

tibus, nulla æstimationis habita ratione, vendantur.

§. 118.

Qui rem immobilem de Massa quovis modo legitimo adquisiverit, ei Judex documentum Legitimationis edere debet, necessarium ad id, ut in rerum Mobilium, aut fundorum immobilium, quatenus civiles, aut rustici sunt, proprietatem, aut vero in fundorum Nobilitarium Possessorium Jure pignoris judicialis tenendum, introducatur.

§. 119.

Bonis obærati ita compositis, ut creditoribus solutio vel integra, vel ex parte fieri queat, in primo casu nulla interjecta mora, in secundo vero ad postulationem Creditorum Curator Bonorum repartitionem totius summæ pro ratione prioritatis cuique Creditorum competentis conficiat, eandemque una cum omnibus allegatis Deputationi tradat; Creditores vero de eo judicialiter certiores reddantur; Iis tamen, quorum Jus prioritatis extra omnem

nem controversiam positum esset, etiam dicta repartitione non expectata, quamprimum fieri possit, satisfaciendum est.

§. 120.

Cuilibet creditori integrum esto, repartitionem penes Deputationem inspicere, ac examinare, suasque exceptiones, quas habeat, contra eandem in Judicium deferre; id tamen intra 14 dies, postquam judicialem notitiam de illa acceperit, quivis facere debet, secus postea non audiendus; exceptiones vero adversus repartitionem productæ, auditis prius creditoribus, quorum intererit, dirimendæ sunt.

§. 121.

Si intra 14 dies nulla exceptio contra repartitionem interposita, vel exceptiones interpositæ diremtae fuerint; Deputatio repartitionem a se subsignatam Judici tradat, a quo retinenda est; Curatori Bonorum vero apographum repartitionis transmittendum, ac simul injungendum est, ut juxta eandem cre-

di-

ditoribus, qui se praesentabunt, sine mora solutionem præstet.

§. 122.

Curator Bonorum cuivis Creditori quotam partem erga apocham exsolvat: ab iis Creditoribus, quorum Actioni, ex toto satisfactum fuerit, Chyrographa restitui, nec non Acta ad Liquidationem pertinentia sibi tradi curet; quoad eos vero, qui petitam satisfactionem tantum ex parte obtinuerint, quantitatem soluti super Chyrographo, Autographo, seu Originali exacte adnotet, & apocha in Actis recepta, expensam ferat: pro iis denique Creditoribus, qui pro solutione obtinenda intra tres menses non comparuerint, obtingentem ipsis e repartitione portionem, pro unoquoque separatim judicialiter deponat.

§. 123.

Super satisfactione creditoribus præstita Curator Bonorum una cum Deputatione intervallo trium mensium, postquam Apographum repartitionis, juxta praescriptum §. 121. sibi

trans-

transmissum fuerit, adaequatam relationem Judici porrigere, eique Apochas a quolibet Creditore datas, Chirographa restituta, Acta sibi tradita, nec non Apochas judiciales, quas pro portionibus ad judicialem custodiam depositis receperit, adjungere debet. Judex vero hanc relationem diligenter examinato, et si satisfactionem Creditorum repartitioni authographae penes se retentae penitus consentaneam, atque in omnibus rite factam invenerit, processum Concursus finitum declarato.

§. 124.

Si terminato etiam concursu eveniat, Debitorem aliquid reticuisse, aut novam substantiam acquisivisse, substantia haec tamdiu ad concursum trahi potest, donec omnibus creditoribus integre satisfactum fuerit, quo casu Creditoribus nondum excontentatis solutio juxta Ordinem Classificatoriae praestanda est.

§. 125.

Si quis Creditorum, qui excontentationem nactus non fuit, observet, fundum quemdam nobili-

bilitarem alteri cuidam Creditorum sub minori, quam ipsemet sua ex parte offert, pretio obtigisse, integrum illi esto, contra eundem ad superinscriptionem procedere, quo casu constitutus in possessorio Creditor, aut bonum Actori, sub majori illa, quam offert, summa, cedere, aut id, in quo oblata summa eam, sub qua fundo potitus est, excedit, Actori numerare tenetur: salvo creditori in possessione constituto jure, quoad meliorationes in fundum factas, indemnisationem quoque, atque solutionem petendi.

CAPUT X.

De Processu Rationario.

§. 126.

Dominiis facultas est ab Officialibus suis rationes exigendi, sique subversetur periculum, una petendi, ut res eorundem mobiles in sequestrum judicialem sumantur.